



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 56. Parisinæ Universitatis disciplina instauratur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A C. 1366.

rent, suade; ac illos, qui divino tacti spiritu hoc facere iter voluerint, meo nomine jube se mihi sistere, ut commeatus literis instructos faustis ad Deum precationibus prosequar.

Duboulay  
to. 4. p. 396.

Eodem anno Papa orante Imperatore Carolo quatuor Ordinum Mendicantium Præpositis imperavit; ut ex suorum numero Doctores Theologiæ Pragæ mitterent sacram ibi scientiam in nova Universitate tradituros. Litteras dabat 18 Nov. 1366.

§. LVI.

*Parisiensium Universitatis disciplina  
instauratur.*

Duboulay  
to. 4. p. 388.  
Lubrenil  
antig. p. 283.

Papa edoctus Parisiensium Universitatis disciplinam ex parte prolabi, duos Cardinales, qui eam restituerent, delegit, Joannem Blandiacium de S. Marco, Episcopum Nemosensem, ac Ægidium Montacutinum de S. Martino *in montibus*, Teravanum Episcopum. Mandatum dedit 2 Maji an. 1366. Hi de consilio Doctorum plurium condidere decretum, Theologiam duntaxat, & disciplinas liberales contingens: nam quod ad Jus Canonicum & Artem Medicam spectabat, harum Facultatum sanctionibus insistendum agebant. En ea, quæ in illo præscripto digna notatu invenio! Prima Theologiæ laurea

Art. 16. 17.

Art. 1.

laurea donati, postquam Magistrum Sententiarum explicare coeperint, in veste decora & gradui suo congruente per urbem incedent, tum praecipue, cum scholas, templa, & conciones adibunt. Idem praecipitur illis, qui designari Magistri Artium volunt: trabeas, vel pallia supra togas gestabunt suas. Ad ingrediendum doctrinae tradendae stadium nemo admitte- tur, qui non attigerit vicesimum quintum aetatis suae annum. Academici per quatuor annos primos in scholas portabunt divinum codicem, aut librum Sententiarum pro ratione lectionum, quas audient. Qui Sententias exponent, genuina earum verba ex ordine legent; nec de complicatis chartae foliis earundem explicationes recitabunt; neque has bibliopolis tradent, antequam per Cancellarium, & Professores Theologiae discussae fuerint.

Quod attinet ad Artium Facultatem, quae reliquarum fundamentum est: Academici inter lectiones non in sellis scamnisve, sed sicut olim, in pavimento sedebunt, ut juvenibus dematur omnis occasio vanitatis. Academicus, ut in scholas Artium recipiatur, scire Grammaticam, Logicamque integram, voluisse saltem ex parte librum de Anima, Lutetiae minimum biennio litteris studuisse debet. Ut honorem proximum a gradu Magistri Artium consequatur, in reliqua Physica, & aliquot

Secul. XIV.  
A. C. 1366.

Art. 18.

52

7. 8.

12. 13.

13.

19.

20. 21. 22.

23. 24.

HISTO

O 3

aliquot

Sæcul. XIV. aliquot Mathematicæ libris versatus sit, oportet. Denique ut Artium lauream obtineat, insuper Aristotelis Moralia, vel saltem tres libros primos de Meteoris calleat, necessum est. Nihil dabitur, aut promittetur pro litteris ascriptionis ad Magistros Artium.

Ultima hujus præscripti puncta contingunt abusum privilegiorum in judiciis publicis, ubi membra Universitatis habebant jus litigandi. Acta authentica demum 5 Junii Avenione confecta sunt post reditum duorum Cardinalium: & quod memorabile, ista correctio facta est per auctoritatem solius Pontificis Maximi.

*Vita p. 364.*  
996.  
*Cont. Nang.*  
p. 916.

Ineunte anno 1367 Papa Urbanus Montem Pessulanum petiit, visurus monasterium, quod magnis sumptibus a fundamentis excitaverat in honorem SS. Benedicti, & Germani, largiterque dotaverat pro sustentando Benedictinorum grandi numero, qui partim officio divino, partim litterarum studiis occuparentur. Aram principem consecravit ipse, Sanctorum reliquiis, & argentea, aurea, gemmea suppellectile ornavit, magnisque auxit privilegiis.

